

inrandi parochiam ad levanda et deferenda corpora defunctorum, uti loc. cit. bene probat Roderiq. Nam contra est, quod denno novissima emanarint decreta sac. Congregat. id, quod conclusio dicit, expresse habentia, prout videre est apud Barbosam, loc. cit.; Donat., loc. cit. n. 5, ubi simile decretum per extensum refert in quo ad propositum illa habentur verba: « Declarat, et statuit, quibusvis regularibus, quorumcunque ordinum et congregationum, tam mendicantium, quam non mendicantium existant, nullo modo licere parochias cum cruce processionaliter, aut alias, ad efferenda et levanda defunctorum funera intrare, vel illa levare, et efferre, nisi vocato et expectato proprio defuncti parrocho, eoque ibidem præsente; vel nisi requisitus dissentiat, aut venire expresse recuset, » etc. quod decretum editum est 20 januarii 1604. Simile per extensum refert editum 1639. 14 januarii Brugnoli, tract. XIV. cap. xv.

35. *Non tenentur corpus prius deferre ad ecclesiam parochialem.* — Resp. III. Nec regulares, nec hæredes defuncti cogi possunt ut defuncti corpus prius ab ædibus defuncti ad ecclesiam parochialem deferant, ibique deponant, pro accipienda ultima quasi benedictione et vale a parrocho, et ecclesia; sed possunt regulares, apud quod defunctus sepulturam elegit, recto tramite corpus ab ædibus ad suam ecclesiam deferre, parrocho tamen prius requisito et vocato, eoque præsente qui si requisitus consentire, ac venire nolit, etiam eo absente et invito id facere possunt. Donat., loc. cit. q. 13; Pirh., h. t. n. 34; Roderiq., tom. III. q. 85. a. 21; Sannig, loc. cit.; Barb., loc. cit. n. 56; Lezana, §. *Defunctus* et communis aliorum. Ita enim expresse declaravit Sixtus IV. uti per extensum videre est apud Roderiq., loc. cit.; Donatum, loc. cit.; Lezanum, loc. cit. qui duo ultimi plura quoque per extensum referunt decreta sac. Congregationis pro conclusione, edita. In quibus tamen etiam illud habetur, quod ad parrochum loci spectet, cadaver in ædibus defuncti benedicere, et ultimum *Vale* dicere *Aussegnen*; si vero venire recuset, liberum est regularibus corpus levare, et ad sepulturam electam deferre: casu quo autem consentientibus et volentibus hæredibus corpus prius ad ecclesiam parochialem deferretur, ibique deponeretur, nihil propterea debetur parrocho præter alia jura parochialia, uti expresse declaravit sac. Congregatio apud

Barbosam, loc. cit. n. 72. ut proin attendenda non sit doctrina contraria a Van Espen, p. II, tit. XXXVIII. n. 12 et 13, absque fundamento posita.

36. *Exequias, et actum sepulturæ peragunt religiosi, non parochus loci.* — Resp. IV. Dum deferatur corpus ad sepulcrum, non deferatur crux parochialis ecclesiæ, sed illius ecclesiæ, in qua sepelitur, Barbosa, loc. cit. n. 78. citans sac. Congregationis decreta duo. Lezana, loc. cit. n. 78. Potest tamen parochus loci etiam cum stola funus comitari usque ad ecclesiam regularium, ac etiam illam intrare ibique permanere, nullo modo tamen se immiscere in actu sepulturæ, vel officia defunctorum peragere, aut preces, vel Psalmos publice recitare, quoniam omnia hæc ab ipsis fratribus fieri debent; prout allegatis pluribus decretis sac. Congregationis docet Barbosa, loc. cit. a. n. 76. et habent decretum a Lezana tum a Donato per extensum allegata, et inserta cuidam decreto auditoris cameræ pariter per extensum apud citatos doctores relato; ubi vide.

37. *Regulares, communitates comitantes funus debent prius ad ecclesiam parochialem peragere, et inde simul cum clero ad domum defuncti.* — Resp. V. Penes hæredes est, an, et quot sacerdotes, aut religiosos, vel confraternitates pro comitando funere vocare; item an, et quot cereos dividere velint. Barbosa, loc. cit. n. 57. ex decreto sac. Congregationis ibidem relato: vocati autem regulares, si comparere volunt, debent se omnes prius conferre ad ecclesiam parochialem defuncti, indeque cum parrocho, et clero pergere ad ædes defuncti; nec licet eis neglecta ecclesia parochiali statim ad domum defuncti accedere vel alibi, donec se immisceant, expectare. Barbosa, loc. cit. n. 62. per plura decreta ibidem allegata.

38. *Hæredes non tenentur curare officia, et missas fieri in ecclesia parochiali, casu quo apud regulares est sepultura.* — Resp. VI. Hæredes defuncti nullatenus cogi possunt, ut præter officia, et missas, quæ in ecclesia regularium, apud quos defunctus elegit sepulturam, in exequiis juxta dicta n. 36. celebrari faciant; Donatus, loc. cit. p. 17; Portel, in *Respons.* p. 2. casu 12; Lezana, et alii, post declarationem ac decretum sac. Congregationis apud Donatum, loc. cit. Ratio est libertas sepulturæ, quam regulares habent, Clem. *Dudum.* h. t. Quæ libertas nimium læderetur, si hæredes cogi possent ad dupli-

canda officia et missas; sic enim absterrentur ab eligendo sepulturam apud regulares, ut consideranti patet.

## § II.

DE ELECTIONE SEPULTURÆ, AC PORTIONE CANONICA: UBI ETIAM DE EO, QUOD PETI ET ACCIPI POTEST PRO SEPULTURA.

39. *Eligere sepulturam quilibet sibi potest, etiam uxor et filiusfamilias.* — Queritur I. Quinam, et ubi eligere sibi possint sepulturam? Resp. I. Omnes et singuli pro libitu eligere sibi possunt sepulturam, a jure specialiter non est prohibitum. Est communis ac certa, textu claro c. 1. h. t. ibi: « Nulli negamus propriam eligere sepulturam, vel alienam. » Rationis loco subjungitur exemplum Christi illis verbis: « Dominus enim et magister alienam elegit, ut propriam. » Etiam uxori competit hæc facultas textu expresso c. *De uxore.* 7. h. t. ubi dicitur, « quod nulla super hoc inter virum et mulierem sit facienda distinctio. » Ratio additur, « cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri. » Item licet filiusfamilias pro anima sua nullam circa temporalia non castrensia facere possit dispositionem ultimam, tamen absque patris consensu sibi potest libere eligere sepulturam, c. *Licet.* 4. h. t. in 6. Ratio est, quia quoad jura spiritualia, quale est etiam jus sepulturæ can. *Quæst.* 12. cau. 13. q. 2. filiusfamilias patris potestati subjectus non est.

40. *In quovis loco religioso, etiam in privata capella.* — Resp. II. Habentes jus eligendi sepulturam possunt sibi in quovis loco religioso eligere, etiamsi alias eisdem jus sepulturæ non competat, qualis est capella, vel alia Ecclesia sepulturam non habens, et in qua raro celebrantur Missæ. Abbas, in c. 1. h. t. n. fin. ad fin.; Gonzalez, ibid. n. 9; Pirhing, h. t. n. 17. et alii apud Fagnanum, in cit. c. III. h. t. n. 1. arg. cit. c. 1. h. t. et c. II. § *Si quis.* h. t. in 6. ibi: « Si quis antiqua dimissa novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari » et ibi Glossa in casu. Nec obstat c. *Fraternitatem.* 3. h. t. ubi sepultura « in loco minus religioso » electa expresse reprobat. Nam contra est, quod in hoc textu per « locum minus religioso » electa expresse reproba-

tur. Nam contra est, quod in hoc textu per « locum minus religiosum » intelligatur vel locus omnino profanus, vel si aliquo modo religiosus, tamen irrationabiliter et malitiose, vel non soluta portione canonica Ecclesiæ parochiali electus: in c. II. h. t. in 6. vero per locum minus religiosum intelligatur talis locus, qui religiosus quidem est, tamen minus frequenter officia divina, Missæ, aut publicæ orationes fiunt, uti cum doctoribus citatis bene docet Glossa, in cit. cap. II. h. t. in casu: quæ vel ideo recipienda, quia sic evitatur jurium correctio. Notat tamen ibidem Glossa, melius et utilius esse, sepulturam in magis religioso loco eligere, præsertim in tali, « ubi orationes et Missarum solemnitas tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius celebrantur, » c. III. h. t. Ratio est, tum quia ibi sepulti plus de piis operibus participant: tum quis eorumdem ob populum ibidem magis concurrentem frequentior fit memoria, uti cum Glossa, cit. notat Fagnanus, in 3. h. t. et doctores communiter. Hic iterum in memoriam revocanda sunt dicta supra n. 32. ne aliquis ad eligendam alicubi sepulturam inducatur, arg. c. 1. h. t. in 6.

41. *Impuberes prohibentur sibi eligere sepulturam: parentes eorum loco eligunt.* — Resp. III. Sepulturam sibi eligere a jure prohibentur sequentes I. Impuberes cit. c. *Licet.* 4. h. t. in 6. ibi: « Nequeunt antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere sepulturam. » Conceditur tamen ibidem, quod pater (si consuetudo terræ id habeat) quo voluerit, impuberem possit sepelire: hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed cum suis majoribus, vel in parochiali Ecclesia sunt tumulandi. » Quæ ultima verba juxta ordinem scripturæ, non in sensu diviso sunt intelligenda, ita quod absente consuetudine non possit pater pro libitu sepelire impuberem, vel in sepultura majorum, vel in parochia propria, sed quod debeat illum necessario in sepultura majorum, si habet, si vero non habet, tunc primum in parochia sepeliri facere, ut bene docet Glossa, in cit. c. *Licet.* 4. h. t. §. *Vel in parochiali;* Ancharanus, ibid. not. 4; Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* p. III. c. XXVI. ubi affert pro hoc declarationem sac. Congregationis. (ADNOTATIO XXXVIII.)

42. *Religiosi subditi professi non possunt sibi eligere sepulturam, bene tamen prælati supremi.* — Resp. IV. Religiosi subditi professi in



claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam. Communis ac certa, per textum c. fin. h. t. in 6. supra n. 48. allegatum: ubi etiam ratio habetur; videlicet, quia « velle et nolle non habent. » Dicitur autem notanter « subditi; » quia religiosi praelati saltem illi, qui aliam superiorem, nisi Papam vel episcopum non habent, quales sunt generales ordinum, ac Abbates non exempti, juxta communem doctorum sepulturam sibi eligere valent. Abbas, in c. de Uscore. 7. h. t. n. 5; Roderiquez, eod. n. 10; Sannig, eod. Lauret. de Franch., p. II. q. 61. n. 2. et alii contra Donatum, tom. III. tract. X. q. 2. arg. a sensu contrario desumpto, quia nempe in multis « velle et nolle » habent, utpote nulli subjecti, nisi quemadmodum alii clerici sæculares dicuntur subjecti Papæ et episcopo: Abbas, loc. cit.

43. *Ac novitii, item professi in remotis decedentes.* — Dicitur ulterius « professi, » quia limitatur in Novitiis, utpote qui juxta communissimam sibi eligere sepulturam libere possunt. Donatus, loc. cit. q. 4; Pirhing, h. t. n. 25; Engel, h. t. n. 42; Armilla, y. *Sepultura*. n. 6; Diana, p. V, tract. III. *Resolut.* 109. et alii, arg. cit. c. fin. h. t. in 6. ubi ideo præcise prohibetur Religiosis eligere sepulturam; quia « velle et nolle non habent; » ergo a sensu contrario, quia novitii « velle et nolle » adhuc habent, cum obedientiam nondum promiserint, haud dubie in sepulturam eligere sibi poterunt. Dicitur insuper « in claustris morientes, » quia extra monasterium decedentes, si commode ad monasterium portari nequeunt, sepulturam sibi eligere valent, per dicta n. 48.

44. *Quando quis sepelitur extra suam parochiam, debetur parochio loci portio canonica.* — Quæritur II. Quid juris et emolumenti parochus defuncti habeat, casu quo, aliquis in aliena parochia sepulturam eligit, vel in sepultura majorum extra propria parochia existente sepelitur? Resp. I. Regulariter ac juxta jus commune loquendo, in hoc casu debetur defuncti parochio portio canonica de omnibus, quæ Ecclesiæ illi, in qua defunctus sepelitur, per ultimam defuncti voluntatem obveniunt, vel occasione funeris deferantur, sive dein in propria, sive aliena decedat parochia. Abbas, in c. *Cum super*. 8, h. t. n. 5; Engel, h. t. n. 13; Vallen., eod. § 5. numer. 1; Pirhing, eod. num. 44; Sannig, eod. cap. III. n. 1, cum communi ac certa aliorum, ob clara jura c. I. II. VIII. IX. et X.

h. t. et Clem. *Dudum*. 2. § *Hujusmodi*. h. t. cum concordantiis. Ratio assignatur cit. c. I. h. t. videlicet: *Quia dignus est operarius mercede sua*, etc. Luc. x, 7. et juxta Apostolum: *Sint socii consolationum, ut fuerunt passionum*. II Cor. I, 7; consequenter cum parochus i. administrandis divinis vivo parochiano, onus et laborem habuit, dignum est, ut de funere ipsius capiat emolumentum.

45. *Si quis duo habuit domicilia, in quibus æqualiter habitavit, dividitur in duos parochos dicta portio.* — Resp. II. Si quis in duabus distinctis parochiis habet domicilia, in quibus æqualiter, vel quasi æqualiter per diversa anni tempora moratur, dividenda est portio canonica inter duos parochos, casu quo defunctus in tertio loco sepulturam eligit, vel in sepulturam majorum extra ambas parochias existente sepelitur. Doctores n. præced. citati, textu expresso c. II. h. t. in 6. ibi: « Cum ab eo, qui duo habet domicilia se collocans æqualiter in utroque in tertio loco eligitur sepultura, domiciliorum Ecclesiæ habebunt inter se dividere portionem canonicam. » Ratio est, quia cum ubique verum domicilium contraxerit, l. *Ejus, qui*. 27. § *Celsus*. ff. *ad Municipal.* utrobique divina, prout potuit, accepisse, consequenter parochi ambo in ministrandis divinis laborantes, mercede digni esse merito censentur, arg. cit. cap. I. h. t. (ADNOTATIO XXXIX).

46. *Portio canonica episcopalis et parochialis; quid? vocatur etiam quarta funeralis.* — Quæritur III. Quid, quotuplex, et quanta sit portio canonica? Resp. I. « Portio canonica ut sic, est quædam pars bonorum defuncti, episcopo vel parochio debita. » Definitio est clara ex terminis, et desumitur ex juribus n. 44. citatis juncto c. *Requisivisti*. 15. de *Testam.* patebitque magis ex statim dicendis. Nam resp. II. Portio canonica est duplex, episcopalis nempe, et parochialis. Episcopalis declarabitur per conclusiones dandas ad quæsitum sequens n. 59. ponendam. Portio canonica parochialis est certa parochio defuncti debita pars bonorum illorum, quæ ex defuncti voluntate ultima, vel occasione funeris obveniunt alienæ Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam eligit, vel ubi tanquam in sepultura majorum sepelitur. Est in re communis, et constat ex jam citatis juribus n. 44. Porro vocatur hæc portio subinde canonica. ut c. IV. h. t. et c. II. h. t. in 6. quia per sacros canones constituta. Subinde

quarta parochialis, c. *In præsentia*. 10. h. t. quia parochio defuncti debita. Subinde quarta funeralis, concil. Trident., sess. 25. de *Reform.* cap. XIII. quia, ut dicitur, quarta pars eorum, quæ ratione funeris obveniunt loco, in quo quis sepelitur, debetur proprio defuncti parochio.

47. *Quantitas portionis canonice certa ac indivisibilis in jure non est determinata.* — Resp. II. Quamvis ex jure certa ac determinata quantitatis portionis canonice parochialis pro quovis casu, et loco non habeatur, ac proinde circa quantitatem consuetudo locorum attendenda sit. Nihilominus ibi consuetudo aliud non habet, sola quarta pars eorum, quæ per ultimam defuncti voluntatem, vel ratione funeris Ecclesiæ, in qua sepelitur, obveniunt, Ecclesiæ parochiali debetur. Prima pars conclusionis docetur a Molina, disp. 215. n. 5; Engel, h. t. n. 13; Pirhing, eod. n. 56. et communis aliorum. Probaturque ex eo, quod non una eademque, sed diversa quantitas portionis canonice parochialis assignetur in jure. Subinde enim dicitur esse media pars, cap. II. h. t. ibi: « Omnium rerum medietatem, etc. Ecclesiæ relinquat. » Subinde assignatur tertia pars c. I. h. t. ibi: « Tertiam partem Ecclesiæ dari censemus, in qua cœlesti pabulo refici consuevit. » Subinde assignatur quarta pars, c. *In nostra*. 10. ibi: « Quarta parochialis. Item quartam partem habeant, » c. *Cum super*. 8. h. t. ibi: « Quarta portio relinquatur, » Clem. *Dudum*. 2. h. t. Tridentin., loc. cit. ibi: « Quarta, quæ funeralium dicitur. » Idipsum habet, et hanc primam conclusionis partem certam reddit textus, c. *Certificari*. 9. h. t. ibi: « Cum autem super hoc articulo diversa antecessorum nostrorum manaverint instituta; Leone justitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, et Urbano quartam fore censentibus, nos tale præbemus in hac varietate responsum, ut sicut beatus Hieronymus inquit, unaquæque provincia in suo sensu abundet secundum rationabilem consuetudinem regionis, illa justitia circa medietatem, vel tertiam, vel quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur. »

48. *Ordinarie tamen est quarta pars eorum, quæ per ultimam voluntatem obveniunt Ecclesiæ alienæ in qua quis sepelitur.* — Secundam partem tenent Glossa, in cap. II. h. t. in 6. prin.; Abbas, in c. *Certificari*. 9, h. t. n. 3; Molina, loc. cit. n. 5; Pirhing, h. t. n. 56.

et alii. Ratio est, tum quia quartæ partis frequentior fit mentio in jure, videturque confirmata novissimo jure concilii Trident., cit. sess. 25. de *Reformat.* cap. XIII. tum quia in quarta parte tanquam minori summa concordant omnia jura, uti post Glossam bene advertit Abbas, loc. cit. arg. c. I. de *Arbitr.* in 6. ibi: « Licet cum unus in quindecim, alius in decem, tertius vero in quinque pronuntiant, illius, qui dixit de summa minori (cum in illas omnes concordantes existant) sententia efficax censeatur. » Ut proin parochus præcise quartam partem prætereat, nisi probet, vi consuetudinis sibi plus deberi.

49. *Portio canonica debetur de omnibus et solis, quæ Ecclesiæ alienæ vel ratione funeris, vel per ultimam voluntatem defuncti obveniunt.* — Quæritur IV. De quibus rebus, et a quibus locis solvi debeat portio canonica parochialis? Resp. I. Regulariter ac de jure communi loquendo, debetur dicta portio de omnibus, et solis rebus, quæ vel per ultimam voluntatem defuncti, vel ratione funeris obveniunt Ecclesiæ alienæ, in qua defunctus elegit sepulturam, vel ubi tanquam in loco sepulturæ majorum sepelitur. Patet conclusio ex dictis, et juribus ibidem citatis. præsertim vero ex Clem. *Dudum*. 2. § *Hujusmodi*. h. t. ubi etiam alias privilegiatis locis, et personis religiosis ordinis sancti Dominici, et sancti Francisci auctoritate apostolica præcipitur: « ut de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscumque, et quomodocumque relictis distincte, vel indistincte, ad quoscumque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta seu canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure, vel non de dantis, vel qualitercumque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate damna, vel donantis, de qua decesserit, quomodocumque directe vel indirecte fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem quartam partem (quam auctoritate apostolica taxamus et etiam limitamus) parochialibus sacerdotibus, et ecclesiarum rectoribus seu curatis largiri integre teneantur. »

50. Infertur, quod debeat quarta etiam de candelis, cereis, faculis, ac intortitiis accensis, quæ circa crucem et cadaver deferuntur, aut ponuntur, Barbosa, de *Offic. et potest. parochi*. p. III. cap. xxv. n. 41. item de libris, blanditiis, culcitra, pallio seu panno, quo feretrum tegitur, ac aliis, ibidem appenduntur, vel apponuntur. Barbosa, loc.



cit. n. 44. et communis aliorum. Idem die de equis et armis, nisi in subsidium terræ sanctæ offerantur, aut sepultura eligatur apud hospitalarios, arg. c. *In nostra*. 10. n. 1. Porro debetur quarta de relictis Ecclesiæ alienæ, ubi defunctus sepelitur, per ultimam voluntatem, sive per modum institutionis sive legati, sive donationis mortis causa fiat, per jura citata, et sequuntur doctores communiter.

51. *Limitatur in relictis causæ piæ; et in casu decedentis novitii, aut servitialis religiosorum.* — Limitatur tamen conclusio in aliquibus, ita ut de iis portio canonica parochæ etiam de jure communi non debeatur. Et quidem primo nihil debetur de relictis per ultimam voluntatem, Ecclesiæ, vel alii pio loco (in quo sepelitur defunctus) aut ad divini cultus obsequium veluti pro fabrica, luminaribus, vestibus, aut paramentis, anniversariis perpetuis, etc. Barbosa, loc. cit. n. 47. et 52; Molina, disp. 215. n. 8; Sylvester, §. *Canonica portio*; Pirhing, h. t. n. 61. et communis aliorum post Glossam, in c. II. h. t. §. *Decrevit*. textu claro, c. fin. *de Testam.* ibi: « De his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, vel trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis canonica portio (dummodo in fraudem non fiat, ut ea episcopus, seu parochialis Ecclesia debeat defraudari) deduci non debet. »

Secundo non debetur de equis et armis, quæ vel in subsidium terræ sanctæ offeruntur, vel si defunctus apud hospitalarios sepelitur. Tertio non debetur de relictis, quæ offeruntur occasione funeris novitii: ac quarto, quæ offeruntur in funere domestici aut servitialis religiosorum intra septa monasterii decedentis, juxta dicta n. 20. et 21.

52. *Ac ubi est consuetudo de aliquibus non dandi portionem.* — Quinto nihil debetur de iis, de quibus vi consuetudinis nihil datur, ut habet communis, arg. c. *In nostra*. 10. h. t. ac c. fin. *de Consuetud.* Consuetudo autem passim introducta ac recepta habetur, quod non nisi de iis, quæ occasione funeris (non item quæ per dispositionem aliquam ultimam) et quidem in sola die depositionis, aut sepulture, Ecclesiæ alienæ obveniunt, v. g. de candelis, faculo, panno feretræ armis, equis, insignibus, culcitra etc. solvatur portio canonica, teste Molina, disp. 215. n. 9; Roderiquez, tom. I. *Quest. reg.* q. 39.

a. 2; Sannig, h. t. c. II; Pirhing, eod. n. 60, et alii, patetque experientia.

53. *Solvitur instantia ex Clem. Dudum.* — Nec his obstat Clem. *Dudum*. 2. § *Hujusmodi*. h. t. ubi expresse habetur, quod de omnibus et singulis, quæ vel per voluntatem ultimam, vel occasione funeris, obveniunt, debeatur portio canonica: ac etiam de illis, « de quibus (sunt verba pontificis) quarta seu portio canonica dari, vel exigi non consuevit, vel non debet jure. » Nam contra est, quod cum dicta *Clementina* quoad hoc sit aperte correctoria juris veteris sit restringenda, et ultra fratres prædicatores et minores, de quibus solis *Clementina* ibi loquitur, non extendenda, consequenter solis dictis fratribus, non item cæteris piis locis, aut Ecclesiis obsit; uti bene advertit Glossa, in cit. *Clement. §. de Jure*, arg. c. *Quæ a jure*. 28. *de Reg. jur.* in 6. patetque ex dictis in lib. I. tit. II. *de Constitution.* n. 421. Accedit, quod etsi lex aliqua præteritam revocet, aut infirmet consuetudinem, per hoc non faciat, quominus nova consuetudo in futurum introduci queat; nisi sit corruptela, juxta dicta supra in tit. *de Consuetudine*. Ex quo apparet, nimis zelose pro parochis locutum fuisse alias doctissimum Van Espen, p. II. tit. XXXVIII. *de Sepultur.* cap. v, n. 31, et seqq. ubi *Clementinam* illam universaliter ad omnes Ecclesias ac pia loca indistincte extendit. Nec suffragatur eidem Glossa, in cit. *Clem. §. Funeralibus*, ubi dicit, quod licet sit nimis rigorosa bulla tamen sit observanda quoad omnia et singula, nullo penitus excepto. Nam rursus contra est, quod Glossa ibi tantum dicat, Bullam etiam respectu fratrum prædicatorum et minorum esse nimis rigorosam: non autem respectu aliorum, utpote quos non tangit, prout ipsa Glossa in statim sequenti §. *de Jure* fatetur.

54. *Sola ecclesia aliena, in qua defunctus sepelitur, tenetur ad portionem canonicam.* — Quæritur V. Quinam, et quæ loca teneantur solvere portionem canonicam, seu quartam parochialem, sive funeralium? Resp. I. De jure communi, atque seclusa consuetudine et privilegio, et solæ illæ Ecclesiæ, vel loca pia, in quibus alienus parochianus sepelitur, dictam portionem tenentur solvere. Communis ac certa claris juribus supra n. 44. citatis. Hinc doctores post Gloss., in c. I. h. t. §. *Judicii*. communiter inferunt, illas Ecclesias vel loca pia, in quibus defunctus sepelitus non est, de sibi relictis, vel legatis cano-

nicam portionem parochialem solvere non teneri. Dicitur autem notanter, « de jure communi loquendo; quia plures regulares, seu potius Ecclesiæ et loca eorum sunt exempta a solutione portionis canonice, prout patet ex conclus. seq.

55. *Regulares quam plures sunt exempti a portione canonica.* — Resp. II. Fratres minores, ac complures aliæ religiones, eorumque Ecclesiæ ac loca pia, per specialia privilegia sunt exempti ab omni solutione portionis canonice parochialis. Probatur conclusio allegando dicta privilegia: sic enim pro fratribus minoribus hujusmodi privilegium concessit Julius II. Leo X, et alii summi Pontifices, prout videre est apud Sorb. §. *Canonica portio*; Sannig, h. t. cap. v. n. 6; Paulus III. apud Donatum, t. III. tract. XI. q. 5, in decisione Rotæ, quam per extensum refert, Pro carmelitis concessit Nicolaus V. Sorb., loc. cit.; ac Julius II. Donatus, t. III. tract. XI. q. 4; prædicatoribus Sixtus IV. et Alexander IV. Sorb. et Donat., loc. cit.; fratribus micimis Julius II, Sorb. et Donat., loc. cit.; Leo X. congregationi camalduensi; Cælestinus V. suæ congregationi, Roderiquez, tom. I. q. 39. a. 3.

56. *Observanda circa usum privilegiorum in hoc puncto, annotantur: et assertur constitutio concilii Tridentini Pii V, Gregorii XIII.* — Circa usum tamen dictorum privilegiorum præ oculis habenda novissima constitutio concilii Tridentini, sess. 25. *de Reform.* cap. XIII. sic habens: « Decernit sac. synodus quibuscunque in locis, jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, an parochiali Ecclesiæ solitæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis monasteriis hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, et eadem portione, qua antea solebat, cathedrali, seu parochiali ecclesiæ persolvatur, non obstantibus concessionibus gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aliis quibuscunque. » Ex his Tridentini verbis inferitur, illa sola monasteria, quæ quadraginta annis ante concilium Tridentinum (quod promulgari cœpit 1563) erecta canonicam portionem parochialem tot annis jam dare consueverunt eandem eodem, quo prius modo, dare teneantur, non obstantibus privilegiis privatis. E contra vero monasteria eorumque ecclesiæ, et loca pia, quæ quidem ante dictos quadraginta annos fuere erecta,

portionem tamen præfatam dare tot annis soliti non sint, nec in posterum dare teneantur, sed privilegiis allegatis uti valeant. Idem est de illis monasteriis, quæ quadraginta annis citra fundamenta existunt, sicut etiam quæ post concilium fuere erecta, et quotidie eriguntur, ad penitus nullam portionem tenentur, sed minoratis privilegiis gaudent. Barbosa, *de Offic. et potest. parochi* p. III. cap. xxv. a. n. 12. citans decretum sac. Congregationis, et decisiones Rotæ, Donatus, tom. III. tract. XI. q. 5; Layman, lib. III. tract. V. cap. XII. n. 13; Roderiquez ubi supra; Sannig, h. t. cap. v, n. 7, et 8. et alii.

57. Huc servit etiam Bulla Pii V, *Etsi mendicantes*, edita paucis annis post publicatum concilium Tridentinum anno 1567. in Bullario Cherub. 41, inter constitutiones dicti pontificis, ubi § 11. sic habet: « Quartam autem funeralium, de sess. 25. cap. XIII. nequaquam solvere teneantur monasteria, quæ a quadraginta annis citra existunt, postquam concil. Trident. ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt; et ubi solvi consuevit, ea tantum de cera et aliis, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, fratribus ipsis, seu monialibus hujusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solvi debet: sicque intelligi concilii decretum quoad quartam hujusmodi solvendam debere decernimus. Ubi vero non est consuetudo solvendi quartam hujusmodi, de nulla supra scriptorum solvi debere declaramus.

58. Nec dicas hanc Pii V. constitutionem revocatam esse per Gregorium XIII, in Bulla *In tanta mole*, quæ est nona inter constitutiones dicti pontificis in Bullario. Cherub. Nam contra est, quod Gregorius XIII. tantum revocaverit Bullam Pii V. in iis, quibus conceditur aliquid contra concilium Tridentinum, non vero in iis, in quibus dictum concilium solummodo declaratur, aut eidem nihil contrarium conceditur, ut bene observat Barbosa, loc. cit. n. 14; Donatus, loc. cit.; Roderiquez, loc. cit. Tambur., *de Jure abb.*, t. I. disp. 15. q. 47, et alii communiter: prout etiam declaravit sacra congregatio apud Barbosa et Donatum loc. cit. atque sæpius secuta est Rota. ADNOTATIO XL.

59. *Portio canonica episcopalis, quid?* — Quæritur VI. Quid, et quanta sit; a quo, et